



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

VII. De his qui res ecclesiae siue interiores, siue exteriores, rapiunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
895.

## VII.

Quicumque timorem Domini postponentes, & ecclesiastica iudicia non verentes, res ecclesiæ rapiunt, vel auferunt, vt in epistola Anacleti papæ legitur, sacrilegium faciunt. Papa dixit: Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Vnde tanta auctoritate apostolicæ sententiæ suffulti, sancimus & vnanimus iudicamus, vt res ecclesiæ tripliciter componantur, insuper vero bannus episcopalis exquiratur. Qui vero exteriores ecclesiæ res rapiunt, vel fraudant, comite agente coerceantur, vt res ablatae legitime restituantur & componantur. Si vero non procurauerint, vel non emendauerint, ab episcopo canonice constringantur, vt res restituantur.

## VIII.

Nemo contemnat, neque transgrediatur bannum ab episcopis superpositum. Sciat & abhorreat in epistola beati Clementis dictum contra se scriptum: Si vobis episcopis non obedierint omnes tam maiores quam & inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus & linguæ; non solum infames, sed etiam extorres a regno Dei & consortio fidelium, a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Et audiant ipsum Dominum in euangelio dicentem: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, Luc. 10. me spernit.* Quapropter nos euangelicam & aposto-